

Pannon.

quiescere, sed semper proficere, & ad altiora ascendere. Caelius Pannonius sic ait, Semper ju- sti ascendere debent in circuitibus, non lassari de- scendere, donec mortale hoc circumferunt corpus. Nam qui non ascendunt, descendunt, quasi qui non proficiunt desiciunt; quandoquidem in via Domini non proficere, desicere est; id, quod in navi remis adversus flumen impulsam videre licet, nam- que ubi manus remigantium remissa cessaverint, navis a fluminis impetu repellitur, ut nec ibi se firmare valeat, ubi erat: ita nisi in via Domini semper in anteriora nitatur, relapsus necesse est. Vide supra c. 2. quest. 41. num. 301. 303. & q. 57. num. 430. 431. 432.

6. Quest.

Tertio quaro, quomodo Ioanni dicitur. Ascende huc, & ostendam tibi, quae oportet fieri post haec. Cum multi Patriarchae stantes in terra viderunt magnam, & alta mirabilia in caelo, ut v. g. Jacob cum pergeret in Mesopotamiam, & cum venisset in quendam locum, ibi dormivit, & tunc vidit in somnis scalam stan- tem super terram, & cacumen illius tangens cae- loi, & Dominum innixum scale dicentem sibi.

Gen. 18.

Genes. 28. n. 11. Valde diversimode se res ha- bet inter Jacob, Joannem. Jacob dormiens in terra vidit caelum referatum, & Dominum multa sibi loquentem; at Joannes ut videat & intelligat mysteria, ei dicitur; ascendere huc, id est in caelum. Numquid Jacob excellentior Joanne erat, siquidem ille jacens in terra, & dormiens caelestia penetrat; Joanni autem ne- cesse est terra exire, & in caelum evolare? Imo quia Joannes perfectior, ac excellentior erat, ideo ei jubetur in caelum ascendere. in Jacob totus populus Israeliticus significa- batur, cum in ejus lumbis esset, & populus ille carnalis, terrenis rebus inharens; ac eis de- tentus non poterat aperte ad caelestia evolare, sed tantum per umbram, ac somnium aliqua minora attingere, & ibi nostra vulgata sabet vidit in somnis, Septuaginta transferunt, som- navi. Et multa, quae ei tunc revelantur, majori ex parte ad ejus generationem, ac tempora- lia spectabant. Erit semen tuum sicut pulvis ter- ra, dilatabitur ad orientem, ac Occidentem. At Joannes tanquam spiritalis; in quo po- pulus Christianus praefigurabatur, ut hic ad- vertunt Primasius, Ansbertus; imperatur caelum ascendere, ut terrenis relictis rebus totus tran- sferatur in caelum, ut ibi valde profunda, & excelsa mysteria ad Christum, ejusque Divini- tatem, ac sponsam Ecclesiam spectantia per- spiciantur oculis videat, & contempletur.

Septuag. ad magna mysteria percipienda, relinquitur ter- ram, evola in caelum.

D. Ambr.

D. Ambrosius, hic ait. Ascende huc, id est terrena desere, & ad caelestia animum erige. Si sursum cor- dexeris, id est Christum secutus fueris, ea quae do- ceo, & quae ventura sunt, etiam ipso docente, facili- le cognoscere poteris.

10.

Ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Si- meon, & homo iste iustus, & timoratus expe- ctans consolationem Israel, & venit in spiritu in templum; cum inducerent puerum Jesum parentes ejus; & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum; & dixit. Nunc dimittis ser- vum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. 2. n. 25. Sauciatate Dei tunc satis erat obnubila- tum, totum carnis operculo, tum etiam ipsis infantiae fasciis. Et tamen sanctus senex, haec omnia penetrans, vidit; agnovit latentem

Luc. 1.

Deitatis formam; unde iustus homo tam perspi- caces habuit oculos, ut tam abdita Deitatis for- ma non lateret, cum inter multa signa & mi- racula Principes Judaeorum eum non agnosce- rent? Unde illi tanta perspicacia, istis vero tanta caecitas? Principes Judaeorum in Messia mundialem gloriam, ac temporalem magni- tudinem querebant, & ideo terrenis rebus ob- caecati presentissimum lumen non agnoverunt; at bonus senex mentem habebat sequestratam ab omni saeculari re, nil mundiale, ac temporale in Messia spectabat, sed solum mente, ac spiritu ferebatur in consolationem spiritualem Israel, & in revelationem seu fidem gentium, inde illi terreno pulvere obscurantur, ut non videant, nec intelligant; iste vero spiritus a terrenis ab- solutus. Deum agnovit, vidit & adoravit. Hoc refero D. Gregorium Nissen. in Catena D. Tho- mae. Non utique mundanam felicitatem in conso- lationem Israel prudens Simeon expectabat, sed veram translationem ad veritatis decorem per separationem a legis umbra.

Solus qui dormiens cor- rena, intelli- gitur superna.

Apoc. 4. n. 2. Et statim fui in spiritu, & ecce sedes posita erat in caelo, & supra sedem sedens.

VERSIONES.

Arabicus. Tunc igitur abii spiritu, & ecce thronus erectus est in throno, eratque super thronum quidam.

Vatabl. Tyg. Et statim spiritu abreptus sum.

Arias. Et statim factus sum in spiritu.

Syrus. Et ecce thronus posuit in caelo, & super thronum sedebat quis.

Aretas. Thronus ponebatur in caelo.

D. August. Et ecce solium positum erat.

EXPOSITIO II.

Et statim fui in spiritu, hoc est in spiritali visione, nam virtus Spi- ritus sancti illius mentem suble- vavit, ut spiritali mentis oculo, caelestia mysteria contempleretur: nec re- vera, in natura, in qua parebant hujusmodi res, verae erant, sed tales spiritali visione illi videbantur, non enim in caelo sunt corporalia sedilia, ullive leones, boves, aut aquile.

Ecce sedes posita erat in caelo. Ostenditur thronus valde excelsus, & sublimis, describiturque ut magnificentissimus tanquam representans immentam, supremam, & altissimam majestatem divinae naturae, felicitatisque aeternae, in qua Deus

21.

11.

Deus

Deus tanquam in throno residet, ac conquies- cit. Et super sedem sedens. Quisquam fuerit iste sedens, Joannes non explicat, aliqui dicunt Christum, alii Patrem aeternum; communior sententia est, quod intelligitur Deus absolute, prout est communis Patri, Filio, & Spiritui sancto, unde illa sancta animalia jugiter procla- mabant Trifagion, Sanctus, Sanctus, Sanctus.

mox resurrexisset; Deum autem non decet, ut cum homines in extasim rapit, eos occidat; tunc enim non erit raptus ac extasis, sed mors vel occisio, & tunc necesse est quod multa confi- derentur miracula, quae sine necessitate multi- plicanda non sunt. Quod magis roboratur, si dica- cas quod hic Pauli raptus contigit tempore suae conversionis. Dicitur enim Act. 9. n. 9. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit. Ait Lyran. In hoc triduo raptum Pauli fuisse communem sententiam Doctorum, quam se- quuntur ibi Beda, Hugo, Glossa, juxta quam sententiam cum ejus corpus esset in Damasco; anima seu spiritus ejus raptus est in caelum, quod per vehementiam extasis, se non posse statuere, an in corpore sive extra corpus. At nostra Aquila Joannes de se alta consideratione, notat, & restatur quod fuit ibi tantum in spiritu. Et statim fui in spiritu.

A. & 9. Lyran.

Hugo. Beda. Glossa.

Joannes de suo raptu restatur in scribitur.

27a

28a

Ezech. 11

Dan. 10

Apoc. 1.

An Joannis corpus man- ditur sine sensu

29a

Joannes in- telligebat

30a

Propheta in- telligebat

que dicebant

D. Epiph.

D. Hieron.

Theoph.

D. Thom.

Dan. 1.

Dau. 10.

QUESTIO IV.

Quomodo Ioannes statim raptus in caelum vidit, ac intellexit tam alta, & sublimia mysteria?

23.

Magna voce tubalium excitatus Joannes, qua dictum est ei, Ascende huc, scilicet in caelum, quod statim profectus est non corpore, sed spiritu, cum ipse dicit, & statim fui in spiritu. Ibi per species visibiles ejus menti infusas a Deo, clarè ac distinctè cognovit, quae deinceps narrat.

24. Prompta Joannis obediencia.

Richard.

Albert.

25.

Exod. 3. Ezech. 1.

Genes. 28. Alcazar.

Et primo notandum quod ait statim; cur haec particula ponitur? Angelus dixit ei, Ascende huc. Non distulit illius jussis obtemperare, sed sine dilatione fuit in spiritu, ut cunctis ejus obedientia ad caelestia monita proponatur in exemplum. Rich. de S. Vi. In eo quod statim dicit, ait, ammadvertendam admonitionem simul spiritus cooperante gratia velocitatem, at- que suam obedientiam imitandam significavit. Albert. Magn. Per hoc, quod dicit statim, no- tatur ejus obedientia contra pigros.

Sublimitas, & altitudo hujus visionis ex mul- tis colligitur, & quia ad illam Joannes in extasi raptus est in caelum; cum aliis valde illustres visiones manifestatae fuissent existentibus in terra, sic Moyses degens per desertum, vidit Deum in medio rubi, Exod. 3. n. 2. & Ezechiel vidit Deum in magnifico illo curru, qui descen- dit ad ipsum in terram, cap. 1. n. 15. Cum aspi- cerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia. Et n. 19. cum eleventur ani- malia de terra, elevabatur simul & rota. Et Jacob dormiens in terra. Gen. 28. n. 12. vidit Dominum inniti scale secundum Alcazar. non in caelo, sed in terra juxta Jacobum consistentem; at juxta Lyranum Abul. & alios in caelo, at ad hoc non est necesse exprimi scalam tanta longitudinis, quanta verè est inter terram, & caelum empyreum, sed alicujus magnitudinis, ita tamen ut videretur illius cacumen caelum aereum tangere, & ibi videbatur Deus inniti scale. In omni tamen sententia Jacobus erat in terra dormiens; at noster Joannes spiritu raptus est in caelum empyreum, ut est communis sententia.

Id quod Paulus de suo raptu: Scio hominem in Christo, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium caelum. 2. Conclit. 12. num. 2. Asserit de suo Ap. stolus quod per vehementiam sui raptus, ac extasis non potest certo statuere, ac determi- nare quae vidit, & audivit; cum tamen ut Divus Tho. 2. 2. quest. 175. art. 3. & alii multi docent Pauli animam quasi formam mansisset unitam corpori; alioquin Paulus mortuus fuisset, &

Thom.

Ait Apostolus eadem Epist. 2. ad Cor. 12. n. 4. Raptus usque ad tertium caelum, and vi ar- cana, quae non licet homini loqui. At noster Joannes, quae vidit in suo raptu in caelo hic scribit, & narrat; forte quod vidit Paulus, quid secre- tius, & majus erat, ad Ecclesiam tamen instru- ctionem non pertinens, at quae hic vidit Joannes Ecclesiam instruunt, & ideo narrat. & re- fert: Deinde in laudem Joannis nostrae Aquilae, jam hoc supra explicavi c. 1. q. 80. n. 685.

De hoc etiam raptu Joannis, quando colle- ctis totis animae viribus ad interiores potentias quibus visurus, & intellecturus erat, quae mox narrat, inquiri etiam potest, an proflus sine ex- teriori sensu, corpus ejus remanserit; non liquet, cum ipse nihil dicat de hoc. Ezech. de sua extasi testatur, c. 2. num. 1. & vidi, & cecidi in faciem meam. Ita ut ei diceretur, quod staret super pe- des suos similiter. Daniel de sua c. 10. n. 8. sic ait. Facebam consternatus super faciem meam: & vultus meus harebat terra. Et ipsemet Joannes de sua prima visione sic narrat c. 1. n. 17. Et cum vidissem meum cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.

An vero ita factum fuerit nunc ad caelestia videnda, satis probabiliter conjecturari potest, quia naturaliter vehemens affectus in potentiis interioribus secum rapit potentias exteriores. Ultimo tandem quaro, an Joannes noster intellexerit has suas visiones propheticas, illa- rumque significata essent ei aperta? Respondeo affirmative, & est communis sententia cum Ruperto. Sic dicitur rectè, ait, intelligitur, sui in spiritu, ac si diceret, statim intellexi spiritali sensu, ea quae mihi per imagines ostendebantur, ut intelligebat ad intellectum pertinere non dubitemus, quod est has visiones illa vox ostendam tibi quae oportet fieri post haec neque enim ut quidam haeretici dixerunt, sic fie- bant hujusmodi propheticæ visiones ut non mihi li- gerent ipsi Propheta verum sensum, quem conti- nerent illa ipsorum visiones.

Idem etiam de veris, ac perfectis Prophetis docent Eusebius lib. 5. Histor. cap. 16. & 17. D. Epiph. lib. 2. Hareli 48. refutantes hære- ticos dicentes Prophetas locutos fuisse in ex- tasi, ita ut non intelligerent, quae dicebant. Et etiam D. Hier. in praefatione Isaiae Theophyl. in c. 1. Matth. quod etiam communiter docent Theo- logi cum D. Th. 2. 2. q. 173. art. 4. & probatur de Daniele, dicitur, 1. n. 17. Danieli ante adu Deum intelligentiam omnium visionum, & somniorum. Et c. 10. n. 1. Intelligentia est opus in visione. Et ratio

Aa 2 est

est quia prophetia deum perfecit hominem humano modo, perfecto: loqui autem sine intelligentia eorum, quae dicuntur non pertinet ad perfectionem humanam: sed est potius amentium & somniantium & aliquo modo usu rationis carentium.

QUESTIO V.

Qualis esset ista sedes posita in caelo?

31. Sensus litteralis, ac genuinus est; proponitur hic à Joanne mirabilis, ac gloriosa divinae majestatis apparitio, sub typis, ac modis omnibus ad ejus celsitudinem indicandam. Sedes ergo hic nihil aliud est, quam thronus positus in caelo, qui quidem magnificentissimus describitur, ut neque indicans, ac representans celsitudinem, ac majestatem divinae naturae, felicitatis aeternae, in qua Deus quasi in throno residet, & requiescit. Qui thronus in immensum superat omnem magnificentiam tam propitiatorii, quam Imperatorum, Regum, ac Pontificum. Exiit ergo hic thronus divinus valde similis throno dei, quem vidit Isai. 6. Ezech. 1. Ita Gloss. Vieg. Corn. & Joannes de La Haye. Pro majori hujus rei explicatione aliorum placita referamus.

Vera, & genuina sententia.

Gloss. Viegas. Corn. La Haye.

32. Alcazar.

1. Par. 24.

Isai. 6.

Ezech. 1.

33.

Imbruentur praedicta sententia.

Galat. 4.

Hebr. 9.

34. Aret.

Joach.

35. Rupert.

Primò, Alcazar hic existimat hunc Dei thronum fuisse instar propitiatorii, & Cherubim. Hi enim erant thronus Dei in templo Salomonis, ad quod hic alludi contendit. Nam viginti quatuor seniores sunt Principes Sacerdotum, hi enim erant viginti quatuor ut patet 1. Par. 24. Hinc & septem lampades respondent septem lucernis Candelabri, mare vitreum mari aeneo animalia magnis Cherubinis, quos fecit Salomon; atque eundem hunc thronum censet fuisse in omnibus visionibus Prophetis. Ut cum Deus apparuit Moysi, & senioribus. Exod. 24. n. 10. Isai. 6. n. 1. Ezech. 1. n. 2. 2. & aliis visionibus. Haec sententia, et si ad sensus mysticos possit inferri, tamen non est conformis litterae; quia omnia legis antiquae, ut arca, propitiatorium & similia, erant umbra, & typus eorum; quae sunt in lege gratiae; illa enim omnia antiqua erant tanquam crepundia & puerilia, ut dicit Paul ad Gal. 4. n. 9. Erant infirma, & egena elementa. Quae omnia per Christum sublata sunt, & in excellentiora, & angustiora mutata: nam lex habuit umbram futurorum bonorum, non verò ipsam imaginem, & proprietatem rerum: nostra verò lex habet ipsam proprietatem, & imaginem, proindeque à Paulo appellatur caelestis. Hebr. 9. n. 23. Ipse autem caelestis melioribus hostiis, quam ista. Ergo hic thronus tantò augustior erat propitiatorio quantum Ecclesia veteri synagogà, & caelum Salomonis templo. Deinde in hac visione Joannis nulla fit mentio Cherubim nec aliorum.

Secundò, multi ut Aret. per hanc sedem Angelos, ac sanctos interpretantur. Sic ait ipse; cōtemplatus sum thronum, per quem requies, quam Deus in sanctis suis habet, designatur, Tertio, Joachim. Rupert. ac alii hanc sedem dicunt esse Ecclesiam. Juxta quam sententiam. Eleganter sic ait Rupertus. Aperto ostio sedem positam conspici in caelo: quia passo Christo,

per eum aditu in caelum patet factum, regnum Dei ita dispositum est, ut Deus in illo sedeat, Principe hujus mundi foras ejectione. Quam ob causam Regius Vates Psalm 92. n. 1. Cum dixisset, Dominus regnavit decorum indutus est, indutus est fortitudinem, & praeceperit se: continuo subiunxit; Parata sedes tua ex tunc, à saeculo in es. Ubi enim indutus Dominus decorum, & fortitudinem, regnavit; id est virginem assumens carnem, & mortem resurgendo vivens, regnum peccati, morisque destruxit: & tunc sedes eius posita est, id est Ecclesia in caelo posita; confirmatum regnum, imperium stabilis est. Acti autem Christi Passionem, quando caelum erat clausum, quodammodo ibi non esset sedes, nec thronus, in quo quodammodo Deus videretur regnare; quia tunc ibi nullus erat sanctus; statim post Agni sanguinem, caelo referat; sanctisque in caelo residentibus, tunc statim apparuit sedes, & thronus; & super thronum Rex sedens; quia jam regnum possidebat: hoc est sanctos, electosque suos sanguine suo redemptos; quod eleganter dicitur D. Bern. sem. 21. in Cant. probans animam justi esse sedem, caelum, ac regnum Dei in qua Deus libentibus inhabitat quae in caelo empyreo, quia hoc dixit, & factum est, illud autem acquisivit sanguine, & morte sua. Sic ait, D. Bern. Caelum dicente Domino, mihi sedes est; de quo aibi scriptum est, anima justus sedes quiescit. Propheta quoque non de alio dixisse caelo arbitror. Tu autem in sancto habitas laus, & aet. Psal. 21. Psal. 21. n. 4. Manifeste autem Apostolus dicit Ephel. 3. Deum habitare per fidem in cordibus nostris. Ad Ephel. 3. n. 17. Nec mirum si libenter habitat caelum hoc Dominus Jesus, quod utique non quemodo ceteros dixit tantum ut fieret, sed pugnavit, ut acquireret, occubuit ut rediret; & id est laborem voto potius ait: Haec requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam. Psal. 134. n. 14. Nota animam justi dici requiem Dei, non tempore, sed in saeculum saeculi, hoc est in aeternum. Multis hoc argumentum prosequitur D. Anastas. Sinaita lib. de Dei nomine duplicato.

Christus veluti non se ostendat. Regem, nisi cum sanctis, in quibus habitat.

Christus veluti non se ostendat. Regem, nisi cum sanctis, in quibus habitat.

D. Bernard

Christus im-

Psal. 134.

QUESTIO VI.

Sedes, ac thronus Dei splendidissimus Maria Virgo.

Hanc sedem, & thronum Dei Beatissimam Mariam Virginem interpretatur Rich. de S. Laur. de Sancto Laurentio lib. 10. de laudibus Beat. Virgin. Maria dicitur ferculum. Sic ait, Maria est sedes illa, in qua residet majestas Deitatis, erat in caelo, assumptione, ministerio Angelorum in corpore, & animo: sedes ergo Maria, sedens Dei filius ex ea carnem assumens, ejus enim sessio est Incarnatio. Unde Pl. 136. Patri sic loquitur. Tunc Cognovisti, id est approbasti, lectionem meam, id est Incarnationem meam ex Virgine; sequitur. Supra sedem sedens. Christus scilicet sua virtute eam continens, & majestatis praeclens: quod notatur per hoc, quod dicitur supra, haec est sedes, de qua Patet filio suo pollicetur per Regium Vatem. Psalm 88. n. 5. edificabo in generatione praesenti, per gratiam & generationem futuram per gloriam sedem tuam, & Christe, id est Beatam Virginem. Tanquam quid valde

Rich. de S. Laur.

Virgo Maria Dei thronus.

Psalm. 88.

valde magnum, ac excellentissimum Pater promittit filio, per gratiam, & gloriam sedem suam Beatissimam Virginem, cum nulla sit major gloria filio dei, quam quod in virgine sedeat, & requiescat, ut in regali throno.

37. D. Epiph. Dam. Maria Dei thronus, & sedes. D. Epiph. de laudibus deiparae, eam appellat Thronum Cherubicum. Cardinalis Damian. serm. 4. de Nativitate. Virg. Col. 6. sic eam appellat Thronum Dei, solium Divinitatis, palatium Regis aeterni. Divus Augustinus apud D. Bernard. Senensem tom. 2. serm. 5. art. 3. cap. 3. sic ait. Maria est flos & janua paradisi, gloria generis humani, Thronus, & Camera Regis aeterni. Et D. Anselm. in Psalterio Virg. sic canit: Ave Thronus Deitatis, In quo Deus Majestatis Dignatur homo fieri.

38. D. Dionys. Arcopag. Quod optime comprobatur ex throni proprietatibus, quas assignat D. Dionys. Arcopagita de caelesti Hierarchia Thronus, ait, Regis celsitudo, Regis circumdatio, stabilis collocatio, Regis suscipio, Regis delatio, familiaris apertio. Quae verba late tractat Albertus Magnus in Mariali pag. 3. Ex qua throni prerogativa arguit D. Augustin. Mariam illic cum corpore caelos penetravisse, ut ibi esset thronus, ubi deus filius; ibi thalamus, ubi sponsus; ibi domus, ubi incola ac habitator. Sic ait serm. de Assumptio. Possidens in Christo corpus suum, quod genuit, clarificatur in dextera Patris. Es quare non sumus, per quod genuit; verè credo, & per quod genuit, quia tanta sanctificatio dignior caelo est, quam terra. Thronum Dei, thalamum Domini, domum, atque tabernaculum Christi d. gnum est ibi esse, ubi ipse est. Clarificato Christo in caelo, convenientissimum erat, ut ejus mater in caelum assumeretur, ut Christus regnans in caelo haberet convenientem thronum, thalamum, domum, atque habitaculum suae majestati; & nullus alius poterat esse convenientior thronus, ac thalamus filii dei majestati, quam ipsa sanctissima Virgo, quae multum eminet super omnes puras creaturas.

Maria convenientissimus thronus majestati filii Dei.

39. Gaucic.

Filius Dei veniens ex sinu Patris

Ad haec respicit Guarricus Abbas serm. 1. de Annuntiatione. Regali siquidem, ait, ex progenie Virgo electa est, generosiatis quidem regia nobilis proles, sed virtutis regia nobilior in aeternum Regi filio Regis materna quoque nobilitas regium honorem defendere, & venientem à regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula Virginis Regine suscipere matris. In ipsa quippe & ex ipsa sapientia edificavit sibi domum, & in ipsa praeavit sibi thronum, cum in ea, & ex ea corpus aptavit sibi ita ad omnia perfectum, & congruum, ut & donus ei sit ad quiescendum, & thronus ad judicandum. Veniens dei Filius è sinu Patris, necesse erat in Virgineis visceribus aulam preparari; & idem fuit in Virgine utero humanum sibi corpus aptare, & magnificentissimum thronum sibi apparare, & regium sibi decorem ostentare, ut meritò ex tunc posset, & perfectus homo, & Rex praedicari, ac cognosci.

Cantic. 3. n. 11. dicitur: Egredimini, & videte filie Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, in die laetitia cordis ejus diadema assumptum à matre vocat humanitatem quam Verbum in puncto Incarnationis assumpsit. Ita Philo Carpat. Cassiod. D. Greg. Guillel. Honor. Sylvester in Apocalypsim. Tom. 1.

Beda, Haymo, Alcuin & D. Bernard. serm. 2. de Epiph. proindeque idem fuit Verbum divinum incarnari Maria utero, ac à matre coronari: ipsa caro assumpta à matre, erat ei tanquam corona regalis; sed ubi regalis corona apparet, necesse est ut regalis thronus assignetur? Quisnam alius thronus nisi uterus Mariae, qui ob suam magnitudinem, totum Dominum, quem caeli capere non poterent, continebat, ac serinium habebat; Carthusian. de dignitate Mariae art. 22. postquam de omni creatura, quae est in caelo, & in terra disseruit, sic subdit Nil horum singulariter, sic mirabiliter potest dici Dei thronus, quemadmodum ventris eius benedictus. Nunquid enim illorum quidpiam Deum circumscribit? sed tu d. praelecta unica Dei, quem totus non capit orbis, in tua se clausit castissima viscera; mansitque in te tota Divinitas corporaliter, residet in te Deus, mater, no commensuratus loculo, qui neque in super caelestibus thronis metiri valet. Quod etiam ait Concilium Ephesinum capite 7. Quis vidit? quis audivit? Incircumscripius Deus uterum inhabitat, quem caeli non capiunt, venter completus est Virgo.

Verus Maria Dei thronus.

Carth.

Maria super omnes creaturas Dei thronus.

Conc. Eph.

Luc. 1.

Stupet Angelus videns uterum Mariae.

D. Chryl.

Et hac de causa fortasse dato assensu virgineo illicò Angelus discessit ab ea. Luc. 2. n. 38. Angelus enim assuetus intuitioni Divinitatis, quam suae menti bajular affixam; dum magis intuetur, magisque agnoscit incomprehensibilem esse deum, nec ita posse ab aliquo spiritu terreni, quin maneat infinitum, quod non capit; certum jam dato consensu virgineo, deum à femina circumferri, & teneri totum, & etiam prout homo est in alio loco non est; sed totum intra puellaris gremii retinaculum arctatur. Ideo attonito stupore percussus Angelus ignorat verba facere, sed redux ad caelum tacitus abscedit, D. Chrysol. serm. 141. Stupet Angelus totum Deum venire intra virginis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. De hoc Mariano throno vide c. 3. quaest. 56. n. 508. 509.

Quaestio VII. Quisnam esset iste super sedem sedens, de quo hic agitur?

In limine quaestionis hic modus loquendi maxime ponderandus est, supra sedem sedens. Nam iste sedens Deus erat, ut statim dicam; & ejus majestas sufficienter explicari videbatur, si diceretur, sedens in sede, ad quid dicitur super sedem? per hanc sedem perfectissima creaturae humanae, & Angelicae designatur. Dicitur ergo deus super sedem sedere, quia omnibus creaturis incomparabiliter supereminet. Richard. de S. Vict. Deus ait, supra sedem bene sedet, qui per sua Divinitatis potentiam, omnibus creaturis eminet: recte nimirum supra sedem memoratur, qui omnibus majestatis dignitate dominatur, qui cuncta sub se sua virtute continet merito supra sedet.

42.

Deus eminet super omnes creaturas.

Richard.

43. Ansberr.

An Christus sit sedens.

Quaestio tamen principaliter inquiri, quisnam esset iste sedens. Ambrosius Ansberrus existimat quod fuerit Christus Dominus, sed Christus p. est Agnus ante thronum, qui à sedente accepit librum, ut constat ex c. 4. n. 7. signatum sit sedens. Aa 3 sigillis